

~~QH~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

W-22.

SIGNAT. c1515CCCXIII.

7

DISSE^RTAT^O THEOLOGICA
PRÆCIPUI
PONTIFICIORUM ERRORES
circà doctrinam
DE
SACRAMENTIS
IN GENERE

ΩΣ ΕΝ ΣΥΝΟΦΕΙ

*ob oculos sistuntur, strictimque refutantur,
Cum primis vero occasione Confirmationis Pontificiae
CONFIRMATIONE EVANGELICORUM
differitur.*

PRÆSID^E
GODOFREDO HOFFMANNO,
SS. THEOL. DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,
DUCALIS STIPENDII THEOLOGICI SUPERATTENDENTE,
ET ECCLESIAE TUBINGENSIS DECANO,

Die *Publica ventilationi exposita*
 Martii MDCCXXIII.

RESPONDENTIBUS

M. JACOBO FRIDERICO HOFFMANN, *Stuttgard.*
M. JOH. ANDREA HOCHSTETTER, *Tubingensi,*
SS. Theol. Stud. in Ducali Stipendio.

TUBINGÆ, Literis HIOBI FRANCKIL.



DUCALIS
CONSISTORII WIRTEMBERGICI
ILLUSTRI DOMINO
DIRECTORI,
MAGNIFICO DOMINO
VICE-DIRECTORI,
CETERISQUE DOMINIS
ASSESSORIBUS
SUMME REVERENDIS, AMPLISSIMIS
ATQUE EXCELLENTISSIMIS,
PATRONIS SUIS ÆTERNUM
PIE DEVENERANDIS,

Se suaque Studia humilime
commendant

RESPONDENTES.



I. N. J.

Um Sacra menta sīt Sigilla & media gratiæ ordi-
naria, per quæ Deus fidem in hominibus obicem
non ponentibus excitare & confirmare consti-
tuit, per se liquet, errores circa ea non exigui
momenti esse, utpote qui in *fundamentum fidei
organicum* directè impingunt, & propterea ope-
ram omnino dandam, ut doctrina de Sacramentis pura atque in-
contaminata in Ecclesiâ Dei sarta testa conservetur. Quo fine
& nos errores Pontificiorum circa hanc materiam in præsens
examinare Σ. Θ. constituimus. Errant verò illi & hic
variis modis, tum circa NUMERUM, tum circa EFFICACIAM
Sacramentorum.

PRIMO enim præter duo Sacra menta Nov. Test, proprie-
dicta, Baptismum puta & Eucharistiam, adhuc quinque alia
communis cuntur, de quibus CONC. TRID. Sess. VI. Can. I. ita de-
finit: *Si quis dixerit Sacra menta nova Legis non fuisse omnia à JESU
Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quam se-
pitem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pa-
nitentiam, extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium, aut
etiam*

A

etiam aliquod horum septem, non esse vere & propriè Sacramentum,
anathema sit.

SECUNDO. Efficaciam Sacramentorum suspendunt ab intentione Ministri.

TERTIO. Discrimen interSacra menta veteris ac novæ Legis,
ut loquuntur, in eo ponunt, quod hæc conferant gratiam,
illa verò eam tantum significarint. Et

QUARTO. Baptismum, Confirmationem & Ordinem characterem animæ indelebilem imprimere fingunt.

SECTIO PRIMA.

de

NUMERO SACRAMENTORUM.

§. I.

Nos PRIMO Errori opponimus sequentem assertionem : Quod Sacra menta Nov. Test. proprie & strictè sic dicta plura non sint, quam DUO, Baptismus sc. & Eucharistia ; Reliqua quinque sic dicta Pontificiorum Sacra menta, licet forsitan unum alterum. ve in significatu latiori ita appellari possit, strictè tamen & proprie loquendo, Sacra menta vere talia non sunt. Quod probamus

I. Argumento hoc *generali*, quia requisita Sacramenti Novi Test. proprie sic dicti sunt sequentia : 1.) Esse in Nov. Test. primum institutum ; 2.) habere expressum mandatum Christi ; 3.) constare externo & visibili Elemento ab ipso DEO ordinato ; 4.) adjunctam habere promissionem gratiæ Evangelicæ, Justificationis & Sanctificationis ; 5.) non esse ad certum solum tempus institutum, sed ut tanquam sigillum & medium gratiæ ordinarium ac perpetuum in Ecclesiâ duret usque ad finem seculi. Jam verò conditions hæc, quæ conjunctim accipi debent, non reperiuntur in quinque Pseudo - Sacra mentis Pontificiorum ; Confirmatio enim deficit in secundo & tertio requisito ; Peñi-

ten-

tentia in *primo & tertio*; Ordinatio in *tertio & quarto*; Unctio pariter in *quarto & quinto*; Matrimonium autem in *primo & quarto* Relinquitur ergo, non nisi Baptismum & Eucharistiam, quibus singula hæc requifita verè competunt, Sacraenta Nov. Testam. stricte & proprie sic dicta, & proinde in hoc numero binario acquiescendum esse. Id quod porrò Theologi nostri ex superfluo quaſi probare ſolent,

II. Verbo DEI, tūm affirmante, tūm negante, ſequentem in modum: Primo quidem *affirmante*, 1. Per claram literam: Hic est, qui venit per aquam (in Baptismo) & sanguinem (in S. Cœnâ,) 1. Joh. V. 6. Et ibidem 8. Tres ſunt qui teſtificantur in terrâ, *Spiritus* in verbo, *aqua & sanguis*, in duobus ſigillis Verbo annexis, Baptismo ſcilicet & Eucharistiâ. 2. Per typum in Vet. Teſt. quem Apostolus intimat 1. Cor. X. 2. ubi *aqua nubea ac marina* reſpondet baptismus; *manna* verò & *aqua petrine* S. Euchariftia. 3. Per representationem miraculosam in cruce Joh. XI. 34. ad quam ſine dubio reſpexit idem Evangelista 1. c. in priore Epistolâ ſuâ c. V. Accedit conſtant & unanimis Ecclesiæ interpretaſio, cui quantum aliàs tribuant adverſarii, notum eſt. Unum heic allegabimus teſtimonium Auguſtini, cujus hæc ſunt verba: *De latere in cruce pendentis lancea percusſo Sacraenta Ecclesia profluxerunt GEMINA, aqua scil. in qua ſponsa Christi eſt purificata, & sanguis, ex quo invenitur eſſe ditta.* Similia ha- bent Thomas Aquinas P. III. Q. 64. Art. 2. Toletus, Maldona- tus, Salmero, Tansenius & alii. Vid. BELLARMINUS L. II. de Sa- cram. c. 8. §. quarta ratio.

III. Deinde verò idem probatur ex Verbo DEI negative, quo argumentationis genere ipſe Spiritus S. uſus eſt Ebr. I. 5. quando quærerit: (interrogationi verò vi negandi ſubeft) *Cui di- xit unquam Angelorum, Filius meus es tu?* q. d. quod non di- c̄tum aut revelatum eſt in Scriptura, id credendum non eſt. Nos igitur ſubſumimus: Atqui plura duobus Sacramentis Sacra-

Scriptura nūspiam revelavit; Neque pluribus quām duobus supra enumerata requisita competit, quod eundo per singula liquido patebit; Neque plura vel Christus ipse instituit, vel Apostoli commendārunt. (Videatur locus 1. Cor. XII, 13, ubi D. Paulus duorum tantum Sacramentorum, quæ ad coaptationem corporis Christi mystici cum capite Christo faciunt, mentionem facit.) Nec plura exemplum & praxis Ecclesiæ Apostolicæ agnovit. Vid. Act. II, 38. 1. Cor. XI, 26. Quare nec nos plura admittimus. Quanquam de cœtero nemo Vir prudens de numero aut vocabulo Sacramenti magnopere rixabitur, uti Apolog. p. 202. ait, cùm variae ejus acceptiones esse possint, de quibus infra dicemus.

§. II.

CONGRUENTIAE verò, quas Pontificii pro numero septenario Sacramentorum allegare solent, valdè ineptæ sunt ac incongruae, uti ĀCID. HUNNIUS egregie docet in *Tract. de Sacramentis* pag. m. 64. ubi hæc leguntur: *Revocat mihi soliditas illorum (επασοφισσῶν) in memoriam id, quod Erasmus Roterodamus, in Colloquio, quod Funeris titulum præ se fert, sub persona Phædri refert his verbis: Confluxerunt in ades agrotantis Georgii Balearici quatuor ordines mendicantium: His adjunxit sese quintus cruciferorum, adversus quem, cœu nothum, à quatuor illis permagni tumultus coorti sunt: Rogabant, ubi vidissent unquam plaustrum quinque rotarum? aut qua fronte vellent esse plures mendicantium ordines, quam sint Evangelista? Sed cruciferi rogabant vicissim, quomodo tunc incessasset plaustrum Ecclesia, cum nullus esset ordo mendicantium? deinde cum unus esset, postea tres? Nam Evangelistarum, inquietabant, numerus nibilo plus habet affinitatis cum nostris ordinibus, quam cum alea, qua undique quatuor ostendit angulos. Hæc Erasmus. Tales quoque, pergit D. Hunnius, sunt ratiuncula summissica Sophistarum sub Papatu, cur septem sint Sacraenta? Quia scilicet tot esse debeant, quot dif- ferent-*

ferentia morborum, quo^t dona Spiritus Sancti, quo^t item virtutes, scilicet; Quod si sic liceret colligere, possemus nos eodem argumento stabilire, esse tantum duo Sacra^menta, sicut duo sunt tantum Testa^menta, sicut due tantum sunt tabula decalogi, duo Cherubim &c. Ubi interim manet rei ipsius, de qua agitur, certitudo & veritas? Hæc ille è Nostris. Ex adversariis autem Lorino eadem mens fuit, quippe qui ad A&t. VI. p. 272. ingenuè fatetur, in his numerorum mysteriis nihil succi esse, nihil vigoris ad dogmata confirmanda. Id vero non ineptum saltem, sed execrabile prorsus argumentandi genus est, quo Jesuita Georgius Schererus in Conc. II. Dom. VII. Trin. p. m. 499. pro numero Sacra^mentorum septenario usus est his verbis: Unter andern fluchet man bey Göttes sieben Sacra^menten / ja bey sieben tausend / oder sieben hundert tausend. Bey wenigen Sacra^menten / als bey sieben / hat kein Landesknecht jemahl gescholten; Dann wer hat einen hören fluchen bey zwey / drey oder vier Sacra^menten? Wie es dann lächerlich lautet / wann jemand spräche: Dass dich Gottes zwey Sacra^ment / oder Gottes drey Sacra^ment schänden. So gar ist es ungebräuchlich und unerhört / dass weniger als sieben Sacra^menten seyn sollen. Quæ si aliquam congruentiam fundant, quæso, cur non pro majore potius numero, v.gr. septem millium, quam pro septenario, exinde concludit Jesuita, cui ineptum atque ridiculum videtur, si quis forte per duo saltem aut tria Sacra^menta juret; contrà verò longè ipsa Paluñoregov, quando milites in pejerationibus suis per septem, aut septem millia Sacra^mentorum jurant. Pudeat impios ac profanos declinatores istos harum ineptiarum, imò blasphemiarum, quas nemo pius, nemo Christianus inter ipsos Romanenses, quod certò persuasum habemus, absque detestatione legere vel audire potest.

§. III.

Abundat igitur in numero isto septenario, atque è censu Sacra^mentorum strictè dictorum excludi meretur primò quidem

CONFIRMATIO.

De quâ Patres TRIDENTINI Sess. VII. Can. 5. Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum ociosam ceremoniam esse, & non potius verum & proprie dictum Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesis quandam, qua adolescentie proximi fidei sue rationem coram Ecclesia exponebant, Anathema sit. Hanc verò ex scriptoribus Pontificiis plenius ita definire licet, quod sit Sacramentum novae legis, quo homo baptizatus ab Episcopo christmate ungitur, eodemque in fronte signo crucis notatur, additis his verbis: Signo te signo crucis, & confirmo te christmate salutis, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, idque ad conciliandam gratiam roboran tem in fide, & imprimendum characterem indelebilem, quo homo in Christi militiam adscribitur. Ex quo patet, Materiaj hujus Sacramenti, ex mente adversariorum, & quidem juxta Bellarminum & alios remotam, esse Chrisma, confectum ex oleo & balsamo & ab Episcopo certis precum seu incantationum potius formulis (*) consecratum; Proximam autem ipsamunctionem prædicto oleo in figurâ crucis factam. Formam consistere volunt, saltē plerique, in pronuntiatio-

(*) Quas inter id cum primis notatu dignum est, quod Episcopus oleum balsamo mixtum adjuret per D E U M omnipotentem Patrem, qui cœlum, terram, omniaque, quæ in iis sunt, condidit, ut omnis virtus Satanae, omnisque exercitus Diaboli, omnes insultus, omnesque præstigiæ Satanicæ radicitus inde eveliantur. Quasi verò oleo vulgari, quod acetatis alisque cibis affundi solet, ingens Diabolorum agmen infideret, per magicas istiusmodi incantationes prius ejiciendum, quam ad sacram & salutarem usum tutò adhiberi possit.

ciatione horum verborum : Signo te signo crucis & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. *Ministrum* ordinarium solum Episcopum aut suffraganeum esse contendunt; ex dispensatione vero Pontificis quemcunque alium Sacerdotem. *Subjectum quod* constituunt hominem baptizatum; qui enim primo caret Sacramento, reliquorum omnium incapax esse censetur. Solent autem communiter confirmationem differre usque ad septimum aetatis annum. *Subjectum* vero quo est frons, in qua residet pudor, ut constet, fidem ubique intrepidè absque timore & pudore profitendam esse cum Paulo, qui ait: *Non pudet me Evangelii &c.* Rom. 1.16. Quanquam veteres, ut Cornelius a Lap. docet, etiam alia membra chrismate inunxerint, quod apud Græcos etiamnum in usu est, qui non frontem solum, sed & oculos & dorsum, in formam crucis ungere solent. (**). *Effectus* vero duplex statuitur, horumque alter dicitur *Gratia gratum faciens*, major quidem, quam quæ in baptismō confertur, in ordine ad confirmandam corroborandamque contra diaboli impetus animam; minor autem in ordine ad remissionem peccati, quia non remittat totam poenam, uti facit gratia baptismi. Alter vero *Character indelebilis*, quo confirmati adscribantur in militiam, sicuti per baptismum in familiam Christi.

§. IV.

(**) Peraftā chrismatione frons panno albo, qui septimo post die rursus deponitur, circumcingi solet, ne chrisma vel defluat, vel casu quodam fortuito deleatur, id quod grande nefas foret, adeò ut Faber Episcopus afferere non dubitārit, periculum fore, ne fundamenta Orbis collabantur, si forte ex ampullā chrismatis pinguedo exundaret, & per incuriam in calceos Ministri vulgaris & Pontificis summi discrimen intercederet, ut his etiam Uncti Domini, qui reverā & ex instituto divino tales sunt, oscula figere teneantur; illis vero ne guttula quidem chrismatis absque grandi piaculo illabi possit. Vah! pudendam hominum mafefiatorum superstitionem.

§. IV.

Hunc Confirmationis ritum in Ecclesiâ Romanaâ usitatum non esse veri nominis Sacramentum, Probatur

I. Quia destituitur *Verbo mandati*, quod nullibi scriptum extare fateretur ipse BELLARM. *L. I. de Sacram. cap. 14.* Imò non solum expresso mandato, sed &c, quod in hujus locum substituunt, *exemplo* Apostolorum, quibus *χειροτεσία* chrismatica nunquam in usu fuit. Quid? quod in confirmatione Pontificia *δακτυλοτεσία* potius appareat quam *χειροτεσία*, cùm illinitio chrismati pollice tantum fiat, non integrâ manu. Huic verò adjuncta colaphizatio sive inflictio levis alapæ *ωροτεσία* potius est, quam *διηγέσια* *χερῶν*, certè pro *χειροτεσίᾳ* Apostolica venditari nequit. Quam in veteri Ecclesiâ Apostolicâ variam fuisse observant Theologi, aliam *inaugurativam* Act. VI, 6. XIII, 3. quæ hodie num in usu est in ordinatione Ministrorum Ecclesiæ; aliam *charismaticam*, quæ effectum habuit collationis donorum Spiritus S. miraculosorum, linguarum præsertim, Act. VIII, 17. XIX, 6. aliam *medicam* Act. IX, 12. 17. 18. XXVIII, 8. quæ utraque hodie cessat. Fortassis, addunt, aliquam etiam in primitiva Ecclesia receptam fuisse *catecheticam* & *admissivam* ad S. Cœnæ participationem. At *χειροτεσία* Sacramentalem cum chrismatone *confirmatoriâ* coniunctam universa Scriptura & pura Antiquitas prorsus ignorat.

II. Quia caret *Verbo promissionis*, quod ex priori liquet. Promissiones enim, quas hic trahit Bellarminus, & amplissime haberi ait Joh. XIV. XV. XVI. ubi Christus discipulis suis promittit Spiritum paracletum, qui consoletur eos in omnibus adversis, qui fortes eos ac intrepidos faciat in testificatione veritatis, qui det robur ad arguendam infidelitatem hominum & docendam

dam justitiam Christi &c. Hæ, inquam, promissiones nulli si-
gno externo substantiali atque visibili sunt alligatæ, adeoque nec
pro Sacramentalibus habenda; Alias si omnes promissiones Ev-
angelicæ haberent rationem Sacramenti, jam non septem, sed lon-
ge plura haberemus Sacraenta. Ubi enim, quæso, in totâ illâ
concione Christi valedictoriâ olei aut chrismatis fit mentio?
Certè nullibi. Neque in exordio Ecclesiæ oleum ad Sacramen-
tum confirmationis adhibitum fuisse ex Thomâ Aquinate scribit
Casp. Sanctius ad Act. VIII. Ubiunque veròunctionis fidelium
in sacris literis alias mentio fit v. g. 2. Cor. I. 21. 1. Joh. II. 27. sermo
est non de chrismate ex oleo & balsamo confecto, sed de oleo
lætitiae spirituali h. e. de Spiritu S. quo & Christus absque men-
surâ inunctus est Psal. XLV. 8. Joh. III. 34. & nos ab eodem in
Baptismo participavimus. Tit. III. 5.

III. Quia Sacramentum Confirmationis, prout quidem illud
ab Adversariis fingitur & describitur, multum derogat efficaciam
ac virtuti Sacramenti initiationis, Baptismi, qui tamen sine dubio
ab ipso Christo institutus est, & quidem eo fine, ut ex aquâ &
spiritu renascamur, Joh. III. 5. ut Spiritus S. ἀλεσίως super nos
effundatur, tanquam per lavacrum regenerationis & renovatio-
nis Tit. III. 6. ut ipsum induamus, consequenter & totius thesauri
gratiæ, omniumque ejus beneficiorum participes reddamur.
Gal. III. 27. Rom. VI. 3. 4. Jam verò adversarii perpetuam inter
Baptismum & Confirmationem antithesen instituunt, omnesque
illos effectus, quos huic ἄρτῃ γενέφης tribuunt, Baptismo compe-
tere negant, sive non sine manifesto veri hujus Sacramenti
contenuit fictum suum Confirmationis Sacramentum longè ex-
cellentius, longè majus ac dignius, atque præstantiori efficacia ac
virtute præditum esse nugantur. In Baptismo, inquiunt, regene-
ramur ad vitam: In Confirmatione confirmamur ad pugnam: In
Baptismo abluimur: In Confirmatione roboramur: In Baptismo

accipimus Spiritum innovantem : per Confirmationem autem Spiritum S. tuentem ac defendantem ; In baptismo Spiritus S. descendit, ad habitationem Deo consecrandam : In Confirmatione autem Spiritus S. cum septiformi sua gratiâ venit in hominem, tanquam in domum DEO consecratam ; Per baptismum anima desponsatur : per Confirmationem verò insuper datur & datur; *& sic porro.* Quo ipso sanè Baptismus præcipuâ suâ virtute, vigore & efficaciâ spoliatur, eique non nisi tenue quoddam initium salutis relinquitur. Quare & baptismum administrare cuivis sacrificulo licet in Papatu : At Confirmationis Sacramentum, tanquam majori reverentiâ tractandum, solis Episcopis reservatum est.

§. VI.

Jam si inquiramus in RATIONES & fundamenta, quibus hæc talia tanta nitantur, quæ de Chrismatione suâ tantâ cum fiduciâ jaçtant Adversarii, saniores quidem inter ipsos ad Verbum DEI scriptum provocare non audent, & *Thomas Aquinas* ingenuè fatetur, nullam in Scripturâ literam extare, quod, quare, ubi & quomodo Chrismationem illam Christus instituerit, quia verò nihilominus ipse agnoscit, necessariam esse divinam institutionem ad hoc, ut ritus aliquis sit veri nominis Sacramentum, refugium omne querit in verbis D. Joannis, quibus Christum multa fecisse testatur, *qua scripta non sunt*, & exinde perperam colligit, inter alia bene multa ipsam quoque confirmationem à Christo institutam esse, licet id in sacris literis scriptum nullibi reperiatur. Quasi verò D. Joannes, ubi de signis & miraculis non scriptis loquitur, signum crucis chrismate fronti impressum subintellexerit, quod quam vanum sit ac frivolum, facile perse liquet. Sanè si GABRIEL BIEL, cuius Cathedra, ex quâ publicè olim docuit, hodienum in Sacello Ducalis Stipendii Théologiæ apud nos conspicitur, rectè statuit, unctionem, quæ in baptismo

smo ante & post tinctionem fit, non esse peculiare Sacramentum,
 ex hâc ratione, quia non habet institutionem Divinam; necesse
 est, fateantur adversarii, neque chris̄mationem suam esse verum
 Sacramentum, aut proferant nobis testimonia scripturæ, quibus
 eam à Christo institutam, & Ecclesiæ tanquam ritum perpetuum,
 & ad consummationem usque seculi continuandum præscriptam,
 verboque adeò mandati & promissionis munitam esse constet.
 Æquitatem hujus postulati quotquot in Papatu agnoscunt, in
 investigandis istiusmodi testimoniis mirum quantum jam olim
 desudarunt, & etiamnum nihil intentatum relinquunt, quo Sa-
 cramento huic Ecclesiæ suæ divinam, si fieri possit, auctorita-
 tem concilient. Putant autem, se in Actis Apostolorum
 Cap. I, 3. & XIX. 6. solida ac firma hujus instituti fundamen-
 ta reperisse, quando scilicet dona Spiritus Sancti Apostolis qui-
 dem *sub specie ignis*, cœteris autem fidelibus per *impositio-*
nem manuum data fuisset Lucas in locis allegatis commemo-
 rat. Quare operæ pretium est, ut expendamus curatiūs,
 quam solidè & acutè Romanenses chris̄mationem suam ex ll. cc.
 probare satagant. Sanè si in confirmatione suâ vel ignem ad-
 hiberent, vel manuum impositionem retinerent, aliqua adhuc
 esset externæ convenientiæ species, licet conjuncta cum *uano.*
ζυλιᾳ, quia destitueretur mandato Divino; Cùm multa vel ab
 ipso Christo Salvatore, vel ab Apostolis facta legantur, quæ no-
 bis propteræa imitari non licet. Jam verò adeò nulla inter im-
 positionem manuum Apostolis usitatam & chris̄mationem Pon-
 tificiam est similitudo, aut qualiscunque saltem convenientia,
 sed palpabilis potius ac manifesta differentia, ut risum tenere
 vix possit, qui Durandum analogiam heic quandam commini-
 scerent audire sustinet. Scilicet juxta hunc *igni* in festo Pen-
 tecostali apparenti responderet in Confirmatione Pontificiâ Oleum.
 Qua verò ratione? *Quia*, inquit, *oleum nutrit ignem* & hujus
 quoddam pabulum est ac nutrimentum. Egregie! nisi idem

faceret adeps, cera, aut quæcunque alia materia pinguior, cuius nullus in Sacramentis est usus. *Speciei linguarum*, pergit idem, respondet *balsamum*; Cur? quia est odoriferum; Sed, quid linguae, organo gustus, non olfactus, commune cum odoriferis. Nisi hæc forsitan dicta sunt istis hominibus, qui quatuor tantum sensus habent, & quibus gustus & olfactus unum idemque sunt. Denique *impositionem manuum*, cuius in locis allegatis fit mentio, repræsentat Episcopus, confirmati maxillam percutiens. Quasi verò manus imponere & alaps cedere sint phrases æquipollentes, quæ ratione sensus verborum Christi, dicentis: Super ægrotos manus imponent; idem foret, ac graviter decumbentes bene cädent, ut melius habeant. Quæ sanè nova & plusquam miraculosa medendi methodus, Medicis quidem facilima, ægrotantibus autem admodum gravis ac tardiofa foret. Ista verò Scripturæ loca, supra jam notata, in quibus *olei letitie, unctionis & confirmationis* passim fit mentio, de chrismate Pontificiorum, & spurio confirmationis Sacramento, nemo, nisi qui cerebrum in calcaneo gestat, facile interpretabitur.

§. VII.

VETERUM scripta quod attinet, quorum testimonia heic cumulare solent adversarii, primo quidem præcipuae sententiae ex istiusmodi monumentis petitæ sunt, quæ partim ab ipsa Ecclesiâ Romanâ inter apocrypha referuntur, partim veræ antiquitati prorsus ignota sunt, & proinde inter supposititia referri merentur. Deinde, multa eorum ita sunt comparata, ut Montanistarum Scholam aperire sapiant, quale est illud *Tertullianî*, dicens: Eos, qui aqua baptizantur, nondum consequi Spiritum S., sed sub Angelis tantum præparari Spiritui Sancto, qui demum, postquam egressi sint de lavacro, per benedictam unctionem & impositionem manus advocetur & conferatur. Quæ sententia verbo DEI, quod Spiritum S. in lavacro regenerationis & renovatio.

tionis largiter effundi diserit ad Tit. III, 6. testatur, è diametro contraria eaque propter minimè ferenda est. Denique, quæcumque ex probatis etiam Scriptoribus de unctionis ritu in veteri Ecclesia usitato allegantur documenta, non probant probandum, neque evincunt, quod ritus ille verum Sacramentum, & majoris quidem ac præstantioris efficaciam sit, quam baptismus, quem ab optimo Servatore nostro institutum esse extra omne dubium positum est. Quia enim in orientalibus præsertim locis multus & varius erat usus olei, idem quoque in Ecclesiam per modum figuræ cuiusdam ac symboli externi donorum Spiritus S. translatus fuit. Quemadmodum & usus osculi ibi receptus ad declarationem mutuae ac fraternæ charitatis deinceps adhibitus fuit, quod nemo propterea pro Sacramento haec tenus venditare ausus est. Ita Augustinus: *Invisible, inquit, donum gratia significatur visibili unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia.* Aliud verò est significare, aliud per modum Sacramenti efficaciter conferre ac operari. Non negamus, veros quoque probatæ antiquitatis Scriptores mentionem subinde facere olei, chrismatis, unctionis & confirmationis; Verum id solùm disputamus, quod huic tanquam peculiari Sacramento divinitus in instituto tales effectus tribuerint, quales Pontificii chrismationis suæ tribuere solent,

§. IIX.

Illud verò ex historiâ probe observari meretur, quâ occasione & viâ unctionis illa, quæ olim in ipso baptismo fieri solebat, ab hoc primùm divelli cœperit ac disjungi, donec tandem peculiare, distinctum & separatum ex ea Sacramentum, quod baptismum longè superaret, factum fuerit. Cujus rei B. CHEMNITIUS, uti in omni antiquitate erat versatissimus, triplicem potissimum occasionem fuisse prohibet. *Prima hæc erat: Quando ab hereticis vel Schismaticis baptizati ad Ecclesiam redibant, tum non rebaptizabantur, sed vel im-*

positione marium vel unctione chrismatis recipiebantur. Cujus rei frequens est mentio in Disputationibus veterum de controversia Cypriani. Secunda occasio fuit, quando in casu necessitatis aliquis vel à Catechumeno vel à Laico baptizatus erat, postea, ut baptismus ille tanquam verus & legitimus approbaretur & confirmaretur, baptizatus ad Episcopum ductus fuit, ut cum impositione manuum benedictionem Sacerdotalem ei imperiret. Tertiam denique occasionem describit Hieronymus in dialogo *adversus Luciferianos*, ubi suo tempore Ecclesiæ consuetudinem fuisse memorat, ut ad eos, qui in minoribus urbibus per Presbyteros ac Diaconos baptizati erant, Episcopus accederet, & impositis super ipsos manibus Spiritum S. invocaret, ut in doctrina & fide Ecclesiæ eos confirmaret. (*) Ex quo rito per se non malo nec inutili tandem lapsu temporum natum fuit novum istud confirmationis Sacramentum, primitivæ Ecclesiæ planè ignotum, postea novis subinde ac superstitionis ritibus acceremoniis auctum, & tandem decreto Synodi Tridentina stabilitum, & sub anathematis comminatione confirmatum.

DIGRESSIO de *CONFIRMATIONE EVANGELICORUM.*

§. IX.

Quod verò Confirmatio in Ecclesiis EVANGELICORUM passim recepta, & in hoc quoque Ducatu propediem introducenda, cum Pseudo-Sacramento Confirmationis in Ecclesiâ Romanâ usitato nil quicquam commune habeat, & consequenter multum ac

(*) Quæ omnia latius deducta videsis in CHEMNITII *Exam. Conc. Trident.*
p. 257. sqq.

ac turpiter fallantur ii, qui putant, nos per hoc ipsum institutum proprius ad hanc accedere, & quasi postliminiò Sacramentum Confirmationis in Ecclesiæ nostræ introducere velle, id ipsum cuivis liquidò & satis luculenter constare potest ex sequentibus: Nam

Primò. Ritum hunc Confirmationis nos minimè venditamus pro Sacramento divinitus ordinato, sed solùm commendamus nostris tanquam salutare institutum Ecclesiæ, quod pro fine & scopo habet, non novæ alicujus gratiæ, quæ in baptismo non sit data, collationem, sed fœderis potius baptismalis solennem repetitionem, ac majorem præparationem ad dignum & salutarem usum S. Cœnæ, quæ ipsum Confirmationis Sacramentum est.

Secundò. Nullum in nostrâ Confirmatione adhibetur chrisma externum ac visibile, multò minus alapa confirmandis infligitur, sed manus à Ministro Ecclesiæ imponitur, per modum ritus cuiusdam externi in impertiendis benedictionibus quovis tempore usitati. (*) Quemadmodum & in Ordinatione Ministrorum Ecclesiæ ejusmodi χειροτεξία & olim in usu fuit. 1. Tim. IV, 14. 2. Tim. I, 6. & hodienum apud nos quoque in usu est, non tanquam medium conferendæ gratiæ per se efficax, sed ut symbolum quoddam externum in sensu incurrens consecrationis (Conf. Exod. XXIX, 10. Num. VIII, 10. XXVII, 18.) & benedictionis ab ipso DEO impertiendæ, juxta illud AMBROSI: *Homo manum imponit, & DEUS largitur gratiam.* (Conf. Matth. XIX, 13. **)

Tertiò

(*) Vid. Evangelischer Unterricht von der Confirmation p. 47.

(**) Hinc ÆGID. HUNNIUS Tr. de Sacram. p. m. 105. Quando mediante impositione manuum Deus dona Spiritus S. contulisse legitur in Scriptura, effectus iste non tribunitur ipsi per se manum impositionis. Sed adiunctæ precationi seu benedictioni, que quia nititur promissione Divina, ne-

Tertiò. Tantum abest, ut nos ritum hunc Confirmationis, quod in Papatu fieri constat, Baptismo præferamus, majoremque illi, quam huic, efficaciam tribuamus, ut potius genuinum ejus usum potissimum in eo consistere dicamus, ut hâc ratione fœdus Baptismale solenniter, & propria fidei professione coram facie Ecclesiæ ab iis repetatur, qui ad usum S. Cœnæ primùm admitti cupiunt.

Quarto. Minister hujus Confirmationis Ecclesiæ non est solus Episcopus seu *Superintendens*, sed quilibet *Pastor* Ecclesiæ, non simpliciter exclusis *Diaconis*, quibus utique etiam hâc in parte *Superintendentis* vel *Pastoris* vices, si quando opus fuerit,

per-

quaquam cadit irrita. Additur autem Ceremonia impositionis manuum veteri admodum exemplo S. Patriarcharum, Prophetarum, Christi & Apostolorum, ut res in oculis hominum incurrens devotionem in precando apud auditores acuat & excitet, & is, qui ad tale aliogno arduum officium, præcipue vero ad Verbi Ministerium, ordinatur, commonescat, se destinari, consecrari & quasi devoveri ei muneri (sicut victimis imponebantur manus, quæ DEO destinabantur offerende) eamque ordinationem à DEO ipso haberi ratam, cuius nomine per solemnum manuum impositionem Ecclesia cura ei demandetur. Pariter B. SPENERUS in *Consil. P. IV.* p. 258. de impositione manuum in Confirmatione Evangelicorum, non tam ubique locorum, usitata sic respondet: Die Ceremonie des Handauflegens mache vielleicht in Zweifel gezogen werden. Nachdem man aber als eine bloße Ceremonie gebräucht, und ihm an sich selbst keine Kraft zuschreibt, siehe ich nicht, daß dieselbige mit füg jemand irren könnte, massen wir nicht allein an vielen Orten, (denn an vielen Orten ist's auch nicht) bey der Absolution die Hände auflegen, dessen wir eben sowohl keinen Götterlichen Befehl aufweisen können, sondern auch sonst in der Schrifte finden, daß von alters her bey dem Segnen das Handauflegen üblich gewesen seye. Daher es auch in diesem Actu keine andere Absicht hat, als daß damit das Gebeth und der Segen, welche man über die Confirmandos spricht, gleichsam auf sie appliciret, und ihnen gemeinet zu seyn bezogen wird.

peragere licet, Qui enim juxta cum aliis Ministris Ecclesiæ Verbum prædicant, & Sacra menta, Baptismum & Eucharistiam, administrant, qui confitentes à peccatis absolvunt, qui officio Catechitarum ordinariè funguntur, qui benedictionem Sacerdotalem toti cœtui impertuntur, illi procul dubio etiam baptizatos & ad usum S. Cœnæ jamjam admittendos, prævio examine Catechetico, confirmare, & benedictionem iis impertiri possunt. Interim nil obstat, quo minus actus ille Superintendentibus & Pastoribus ordinarie ad tempus, majoris forsan solennitatis causa, ab Ecclesiâ demandari queat.

Quinto. Neque etiam de *Charaktere indelebili*, per Confirmationem animæ imprimendo, ne per somnium quidem, unquam cogitavimus, sed nostros potius serio & graviter hortamur, ne gratiam in baptismo sibi collatam & nunc denuò confirmatam, suâ culpâ rursus amittant, quod per peccata mortalia contra conscientiam commissa à quamplurimis fieri proh dolor! plusquam certum est, sed in eâ potius usque ad finem vitæ suæ perseverent, & solicite sibi caveant, ne nomina ipsorum ex libro vite rursus deleantur. Aliás, si vel maximè daretur character in delebilis, nihil tamen solatii is afferre posset confirmatis. Perinde enim est, sive quis cum, sive sine charactere damnetur.

Sexto. Quod PP. Tridentini tanquam rem risu dignam exhibârunt & exploserunt, nimirum, Catechesin cum confirmandis instituendam; (*) Id nobis palmarium ac præcipuum est in hoc negotio, ut scilicet Catechumeni publicè prius examinentur, fidei suæ, in quam olim baptizati sunt, ipsi rationem reddant, atque ita per preces totius Ecclesiæ gratiæ DEI porrò commendentur, ut is cœptum bonum opus deinceps magis magisque in iis perficere velit. Quæ omnia clarissimè demonstrant, pium hoc ac salutare Ecclesiarum Evangelicarum institutum à Pseudo-Sacramento Confirmationis Pontificiæ toto cœ-

lo distare, atque adeò adversariis nullam gloriandi materiam per illud suppeditari, ac si Sacramentum à majoribus nostris antiquatum, atque ex Ecclesiis nostris eliminatum, denuò in eas introducere velimus.

S. X.

Ne verò & inter nostrates sinistris de novo hoc, ut videtur, ac recenti in Ecclesiâ WIRTEMBERGICA instituto judiciis locus fortè relinquatur, quernadmodum communiter iis, qui antiqui moris tenaces sunt, vel solo novitatis titulo displicere solent, quæcunque majoribus nostris ignota aut certè neglecta fuerunt, (quo censu & solennem istum Confirmationis ritum plerisque venire nulli dubitamus.) Probè advertendum est, reverà quoqd substantiam rei novum non esse, quod ut novis deinceps ceremoniis ac ritibus in oculos hominum incurritibus peragatur, è re Ecclesiæ esse Antistites ejus arbitriati sunt. Dudum enim nostri ostenderunt, ritum Confirmationis, remotis inutilibus, superstitionis, ac cum verbo DEI pugnantibus traditionibus, piè & ad Ecclesiæ ædificationem hoc modo usurpari posse, ut scilicet ii, qui in infantia baptizati sunt, ubi ad annos discretionis pervenerint, in summis doctrinæ Christianæ capitibus probè instituerentur, posteà verò ipsi sive in cœtu publico, sive coram Ministro Ecclesiæ fidei suæ rationem redderent, ejusque propriam ac solennem (pro consuetudine tamen cuiusvis Ecclesiæ) professionem ederent, seque pactum suum baptismale constanter usque ad finem vitæ suæ servare velle sancte promitterent ; Ecclesia verò eosdem per preces publicas DEO offerret, atque ad communionem S. Cœnæ, ut qui semetipsos probare possint, deinceps admitteret. Id quod, si REM IPSAM spectemus, haec tenus in Ecclesiis nostris ita observatum fuisse constat, dum non solum statim temporibus Catechismus à pueris atque

que puellis in cœtu publico recitatus, & certa quædam precatio-
nem pro confirmatione ac perseverantiâ in fide formula à Mi-
nistro Ecclesiæ præsentibus publicè prælecta fuit, sed &, qui pri-
mùm ad S. Synaxin accedere vellent, privato prius examine ten-
tati & explorati, quin & testimonio quodam publico, tanquam
literis Systaticis instruti, & pro idoneis S. Cœnæ hospitibus
publicè declarati fuerunt; Quod, ubi deinceps majori cum so-
lennitate & in cœtu publico, præsentibus cum primis suscepto-
ribus ac Patrinis, peragetur, ritus quidem ex parte novi rei per
se antiquæ ac dudum inter nos receptæ accedent, id quod abs-
que superstitione, ad exemplum aliarum Ecclesiârum, studio non
novitatis, sed majoris utilitatis & ædificationis gratiâ, fieri posse,
nemo facilè in dubium vocabit, qui quidem indolem libertatis
Christianæ, vi cuius Ecclesiæ pro re natâ ritus mutare aut novos
subinde instituere integrum est, penitus cognitam habet atque
perspectam. (*) Non jam dicam de Ecclesiâ ANGLICANA, quam
à superstitionibus Romanensium alienissimam antiquum Confirmationis ritum retinuisse constat, ita quidem, ut quicunque S. Cœnæ participes fieri volunt, coram Episcopo vel alio ab ipso
designato Ministro sese sistere, fidei suæ rationem publicè
reddere, coram eodem in genua sua procumbere, & facta ritu
Apostolico manuum impositione benedictionem accipere, at-
que ita Ecclesiæ prius solenniter præsentari ac commendari te-
neant.

C 2

(*) Qua de re notanda heic veniunt verba FORMULÆ CONCORDIAE Art. X.
de Ceremoniis Ecclesiasticis pag. 791. Credimus, docemus, & confite-
mur, quod Ecclesia DEI quibusvis temporibus & locis pro re nata liberri-
mam potestatem habeat in rebus verè adiaphoris aliquid mutandi, abrogandi,
constitundi: Si tamen id absque levitate & scandalo, decenter & bono
ordine fiat: &, si accurate expendatur, quid singulis temporibus ad con-
servandum bonum ordinem, & ad piam reuinendam disciplinam atque ad
evangelicæ Evangelica professione dignam, & ad Ecclesiæ ædificationem
quamplurimum faciat.

neantur, quām cum adultioribus aliis fidelibus corporis &
 sanguinis Christi in Eucharistiā participes fieri queant; prout
 id ex Liturgiā istius Ecclesiæ & ipsa praxi notissimum est. Sed, si
 exemplis rem agere, & pium ac laudabile institutum hoc a super-
 stitionis vel saltem novitatis labe vindicare velimus, facile nunc
 ad plures alias Augustanae Confessioni addictas Ecclesiæ provo-
 care possemus, quibus illud ipsum haec tenus in usu fuit, & sua
 se utilitate multipli commendavit, *sive* ad ipsos solenniter
 confirmandos, *sive* ad ipsorum parentes ac susceptores, *sive* ad
 reliquum fidelium cōtum, in quo ista publicè peraguntur, re-
 spiciamus. Iстos enim quod attinet, certè insigni usū atque uti-
 litate carere non potest publica illa ac solennis frēderis baptisma-
 lis renovatio, atque iterata pollicitatio, quod vocationi suæ di-
 gne vivere, nullamque cum operibus satanæ, cum vanitatibus
 mundi, cum concupiscentiis & voluptatibus carnis, quibus omni-
 bus in baptismō olim renunciarunt, communionem habere, sed
 adversus omnes istos hostium spiritualium insultus fortiter pu-
 gnare atque in virtute Domini totis viribus iis resistere velint.
 Parentes insuper ac susceptores sui hoc pācto officii efficaciter ad-
 monentur, ut nihil eorum prætermittant, quæcunque ad pro-
 movendam liberorum suorum salutem, non temporalem illam,
 vanam quippe & cum hâc aliquando vitâ perituram, sed eternam
 potiùs, nullisque unquam seculis terminandam, facere ac per-
 tinere possunt. Quo ipso cæteris quoque præsentibus non si-
 ne salutari fructu in memoriam, imo ad animum revocatur, quid
 ab ipsis olim eadem ratione præstitum ac promissum fuerit, ut
 votorum suorum constanter memores, salutem suam in timore
 ac tremore operari pergent, sicque aliquando coronam glo-
 tiæ fortiter pugnantibus à Duce suo ac Servatore Christo destina-
 tam feliciter reportent. Hunc salutarem usum multiplicem ubi
 recens hoc institutum in Ecclesiis nostris posthac obtinuerit, (id
 quod DEUS faxit!) nemo sanè in posterum erit, qui vel novitatis,
 vel

vel superstitionis, vel quocunque alio prætextu suggillare illud aut improbare ausus fuerit. Id quod hoc loco obiter monendum esse duximus.

§. XI.

Porro è numero Sacramentorum propriissimè ac strictè sic dictorum excludi debet

POENITENTIA.

De qua P. TRIDENTINI ita fulminant: *Si quis dixerit in Ecclesiâ Catholîcâ Pœnitentiam non esse verè & proprie Sacramentum nova scil. Legia pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi DEO reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anathema sit.* Sess. XIV. Can. I. Loquuntur autem ibi de pœnitentia non interiore, quæ sola mentis conversione & peccati detestatione constat, sed, quæ signis se externis, moerore, lachrymis, confessione, corporis afflictione prodit, & adjunctum habet verbum Absolutionis, uti BELLARMINUS mentem Concilii interpretatur *l. i. de Pœnit. c. 8.* De quâ alias docent adversarii, quod consistat in Contritione cordis, Confessione oris & Satisfactione operis. Hanc non esse Sacramentum propriissimè dictum Probatum;

I. Quia caret *Elemento* externo substantiali & visibili, divinitus determinato, quod in omni Sacramento Verbo contradistinguitur, & rei cœlestis signum atque ὄχημα esse solet. Neque enim pro tali Elemento venditari potest vel *Confessio* pœnitentis, vel Sacerdotis *Absolutio*, quia utrumque Verbum est, non materia terrestris, atque ita non Elementum Verbo, sed Verbum Verbo appendetur. Vel & *impositio manus* à Sacerdote facta, quippe quæ neque huic Sacramento propria, neque, fatente *Thoma*, ad absolutionem necessaria est, cum non sit à DEO

præcepta. Et sanè hīc ipsi Adversarii malam suam causam satis produnt, quando tum circa materiam, tum circa formam, tum denique circa efficaciam & effectum hujus Sacramenti miris modis inter se digladiantur. De quo Vid. GERHARDI *Confessio Cath.* P. IV. p. 5. *sqq.*

II. Quia Pœnitentia communis est utriusque Testamento, tam Veteri quam Novo, neque ulla in substantialibus differentia hec ostendi potest; utrobique enim eadem est promissio Gratia Act. X. 43. eadem Absolutio, quod vel exemplo Nathanis Davidem confitentem absolvēt satis liquet 2. Reg. XII. 13. conf. Ezech. XXXIV. 4. Cum igitur fateantur Adversarii, pœnitentiam in Vet. Test. non fuisse Sacramentum, idem nos de pœnitentia N. Test. utriusque specie non diversa ab illa, asserimus, quamdiu rationem differentiæ tam notabilis dare nequeunt. Idque eo magis,

III. Quia verba Christi Joh. XX. 13. *Quorumcunque remiseritis peccata &c.* in quibus illi propriam hujus Sacramenti sedem constituunt, plus non inferunt, quam quod Christus Discipulis suis dederit potestatem remittendi & retinendi peccata, quod εἰσαγόνων est. Quod vero ibi signum aliquod externum promissioni gratia conjunctum instituerit, (quoniam ne hoc quidem ad Sacramentum propriissimè dictum sufficiat,) nullis ridiculis è textu unquam extorqueri poterit. Cæterum & Johannes Baptista pœnitentiam prædicavit in deserto in remissionem peccatorum, nec tamen per hoc Sacramentum administravit, fatentibus adversariis. Quare ipsi Patres Tridentini, referente P. SUAVI L. IV. p. 419. meritò mirum videri fassi sunt, quod Christus, qui alias ritus in Baptismo & Eucharistiâ observandos tam clare expresserit, hoc in loco Joh. XX. verbis apertis id non fecerit, sed ejusmodi, ex quibus per consequentiam saltē, eamque pessime conexam

nexam Christi mens eliciatur, imò per consequentias plurimas valdè remotas ex Synodi sententia petatur.

S. XII.

Verba APOLOGIÆ August. Confess. quod attinet p. 200. Si Sacramentum vocamus ritus, qui habent mandatum DEI & quibus addita est promissio gratie, facile est judicare, quæ sint proprie Sacra-menta, scil. Baptismus, Cœna Domini & Absolutio. Provocant quidem ad ea Adversarii passim, & nos defectionis ab Augustana Confessione reos exinde arguere volunt. Vid. BELLARMINUS L. II. de Effit. Sacram. c. 23. & THOMAS HENRICI in Anatome A. C. art. 9. Verum si tota verborum series & strūctura inspiciatur, patebit ad oculum, neque Apologiam à nobis, neque nos ab A-pologia hac in parte dissentire. Sonant enim verba ista hypothetice: SI Sacra-menta vocamus ritus &c. Jam vero propositio conditionata in absolutam converti non debet. Hypothesis vero fundatur in diversa vocis acceptance, quam triplicem esse innuit Apologia. Vel enim sumitur *impropriæ*; Vel *propriæ* quidem, sed tamen paulò *latus*; Vel denique *proprietissimæ* ac *strictæ*. In primo significatu vox Sacramenti denotat ceremoniam aut ritum qua-lemcunque à Patribus acceptum, destitutum tamen expresso DEI mandato neque ad salutem necessarium; quo sensu de Confirmatione & extrema unctione p. sq. dicitur, quod non inutile sit hos ritus discernere à superioribus, qui habent expressum mandatum DEI & claram promissionem gratia. Quia, quod pag. 200. præmittitur, ritus ab hominibus instituti, non erunt hoc modo (intellige juxta definitionem supra traditam) propriæ dicta Sacra-menta. Non est enim autoritatis humana promittere gratiam. Quare signa sine DEI mandato instituta non sunt certa signa gratia, etiam si fortasse rudes docent, aut admonent aliquid. In secundo significatu Sacra-menta appellari possunt omnes illi ritus, qui habent man-datum DEI & quibus addita est promissio Gratiae, justificæ puta & salvificæ, quæ Scholasticorum recepta erat definitio, cum qui-

Cum quibus de vocabulo Sacramenti se non magnopere rixari velle ait Melanchthon p. 202. Et hoc sensu, sive juxta hanc definitionem, Apologia ait, verè *Sacraenta esse Baptismum, Cenam Domini, & Absolutionem*, quam propriè dici posse Sacramentum pœnitentie, ut Scholastici Theologi eruditiores loquebantur, eadem non difficitur p. 167. Quod verò id ad Sacramentum propriissimè dictum nondum sufficiat, sed ad hoc plus requiratur, ipsa rursus Apologia docet p. 202. quando subiungit: *Poſtremo, ſi omnes res annumerari Sacraenta debent, qua habent mandatum DEI, & quibus ſunt additæ promiſſiones, cur non addimus orationem, qua veriſiſimè potest dici Sacramentum, habet enim & mandatum DEI & promiſſiones plurimas.* Possent hic numerari etiam eleemosynæ. Item afflictiones, qua & ipſa ſunt ſigna, quibus addidit Deus promiſſiones. Ex quibus verbis fatis manifestum est, non alio sensu Abſolutionem Sacramentum appellari in Apologia, quam quo & Oratione hoc nomine insigniri poſſet, quam tamen adversarii pro Sacramento non habent. Nobis verò heic sermo eft de Sacramento propriissimè ſic dicto, quod noſtrates ita definiunt, quod ſit ſacra & ſolennis actio diuitius iuſtituta, quâ DEUS, mediante hominis ministerio, ſub certo viſibili extero elemento bona ſua coeleſtia diuertiſſat, ad offerendam ſingulis utentiibus, & credentiibus applicandam & obſignandam promiſſionem de gratuita remiſſione peccatorum propter Christum. Quo modo duo tan- tum Sacraenta eſſe, ſupra dictum eft. Denique & illud probè eft obſervandum, quod verba Apologiæ ſupra allegata vel ideò non faveant Pontificiis, quia illi pœnitentiam longè aliter definiunt ac nos, ſciliſet, ut paulo ante dictum, per Contriſionem cordis, Confessionem oris, & quidem auricularem cum enumeratione omnium peccatorum, & Satisfactione operis, quod iſipſum Apologia pluribus impugnat p. 162. ſqq. Quod ſi ergo vel maximè Pœnitentiam, accedente abſolutione, Sacramentum eſſe diceremus, id tamen pro Sacramento Pœnitentiæ Ecclesiæ Romanæ

manæ haud militaret. Reliqua argumenta adversariorum plus non probant, quām quod Pœnitentia sit medium consequendi gratiam & remissionem peccatorum, & quod Ministri Ecclesiæ acceperint potestatem clavium ligandi & solvendi, quæ vero omnia in controversiam non veniunt, sed utrinque in confessio sunt.

S. XIII.

Multo minus Sacramentum est verè & propriè sic dictum, etiam si lator, de quo modo diximus, vocis acceptio supponatur,

EXTREMA UNCTIO.

De qua CONCIL. TRIDENT. Sess. XIV. Can. I. *Si quis dixerit, extre-
mam unctionem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo
Domino nostro institutum, & à B. Apostolo Iacobo promulgatum, sed
ritum tantum acceptum à Patribus (quo ipso procul dubio verba
Apologiz p. 201. notantur) aut figmentum humanum, anathema sit.
Confertur autem hæc unctione in Ecclesia Romana à Presbytero
Curato, homini Christiano graviter decubenti & de vitâ per-
triclitanti, adulto, & qui usum rationis habuit, non-excommu-
nicato, in septem corporis partibus, nimirum oculis, auribus,
naribus, ore, & manibus, ob quinque sensus, nec non renibus, tan-
quam sede concupiscentiæ, & tandem pedibus, ob vim pro-
gressivam & executionem, oleo olivæ consecrato ab Episco-
po, adhibitæ hac verborum formulâ: Per istam sanctam unctionem
& piissimam suam misericordiam indulgeat tibi DEUS, quic-
quid deliquisti per visum, auditum &c. ad sanitatem corporis re-
parandam, si quidem expediat animæ; & abstergendas reli-
quias peccatorum, nisi quis obicem ponat.*

S. XIV.

Hanc unctionem non esse Sacramentum verè & propriè
sic dictum probatur

D

I. Ex

1. Ex defectu *elementi determinati*, quia olei ex olivâ in Sacramento adhibiti nullibi in S. Literis sit mentio, sed unctio in genere, quæ etiam alio medicinali oleo fieri potuit.

2. Ex defectu Verbi *institutionis*, cuius nullum in Historiâ Evangelistarum vestigium appetat; At quis credit, tam negligentes fuisse Evangelistas, ut rem tanti momenti ne verbulo quidem attigerint, si quidem Christus eam tanquam Sacramentum Ecclesiæ necessarium, uti volunt adversarii, instituisset. *Laymannus* suspicatur, institutionem factam esse Joh. XX, 22. sed absque fundamento. *Cornelius à Lap.* Videtur, ait, feriâ 5. hebdomadæ sanctæ hoc Sacramentum à Christo institutum esse in Cœnâ Domini, unde praxis Ecclesiæ habet, ut Episcopus illo ipso die consecret oleum. *Tannerus* verò contradicit, & quamvis, ait, de tempore *Institutionis* nihil certi affirmari possit, verius tamen est, nec ante noctem Cœnæ, nec in ipsa nocte ea, sed post resurrectionem, intra spatum illud quadraginta dierum, quibus Christus cum Apostolis versatus est, A&t. I, 3. institutum fuisse. At quis, quæso, meritis istiusmodi conjecturis fidem habeat absque levitatis ac temeritatis notâ?

3. Ex defectu *finis Sacramentalis*, qui non est vel reparatio sanitatis corporalis, vel abstergio reliquiarum peccati, sed salus animæ & remissio omnium peccatorum, non leviorum saltem noxarum, uti *Bened. Justinianus ad fac. 5.* distinguit, dicens: *Baptismus* quidem ad originariam labem delendam; *pænitentia* verò ad lethalia crimina expianda; at extrema unctio ad leviores noxas abolendas pertinet. Quod si tamen Sacramentum hoc efficax est, ut ajunt, ad abstergendas saltem reliquias peccati, quæ ratio, quod ægroti moribundi hoc beneficio soli gaudere possint, non item adituri prælium, naufragium, extremum capitis supplicium? Annon enim in his quoque reliquiæ dantur peccati abstergendæ?

Non

Nonne & hi terroribus conscientiae anguntur, adversus quos
muniendi essent? Cur ergo Ecclesia hic parca, ibi liberalis; hic
noverca, ibi mater? merito querit *Dannhauerus Hodom. Pap.*
P. II. p. 484.

§. XV.

Loca Scripturarum, quibus in hoc punto maxime hituntur
adversarii, duo sunt; Sed neuter probat probandum: *Primus*
extat Marc. VI, 13. *Unixerunt oleo multos infirmos & sanave-*
runt. Hunc verò ut planè alienum repudiat Bellarmi*n*s ali-
quot argumentis, quia unctio ista solum aut præcipue ad
curationem mōrborum corporalium referatur; quia Apostoli
tum nondum fuerint Sacerdotes; & quia unixerint promiscue
quoslibet agroros, cœcos, claudos &c. etiam infideles, nondum
baptizatos, quæ omnia à Sacramenti ratione aliena sint. *Qua-*
*re & CORNELIUS à LAP.*unctionem apud Marcum de dono po-
tius miraculo*so* curationum exponit, illamque non Sacramen-
tum ipsum, sed saltim ejus quondam instituendi typum ac præ-
ludium fuisse sentit. At MALDONATUS eum, qui negat, quod
de ipso Sacramento unctionis apud Marcum hoc in loco agatur,
aut maligne, si sit hereticus, aut imprudenter, si Catholicus, ad tol-
lendum hoc Sacramentum gradum facere arbitratur.

§. XVI.

Alterum locum Jacobi V, 14. quod attinet, ante omnia certum
est, quod in eo non habeatur institutio Sacramenti, quod Bellarmi-
nus & Justinianus sponte fatentur; Neque enim verisimile est, au-
toritatem instituendi Sacramentum, quod ad universam spectat
Ecclesiam, uni Jacobo fuisse collatam, cui tamen suprema totius
Ecclesiæ administratio deniandata non fuit, sed Petro, ex opi-
nione quidem adversiorum. Sed, si circumstantiæ Textus pro-

D 2

be

bè expendantur, patebit, in hoc quoque loco, sicuti in priore apud *Marcum*, agi de unctione miraculosa & dono iauâlōr extra-ordinario, quod tempore Jacobi nondum cessavit, ut falso supponit *Cornel.* à *Lap.* & quamvis ad certam materiam alligatum non fuerit, quod *Bellarminus* objicit, eam tamen non omnino exclusit, uti ex pluribus exemplis Scripturæ constat. Neque verò hæc unctio Jacobæ ad solos morbos extremè periculoſos & desperatos restringitur, quod voces ἐγέρειν, & καρπεῖν in textu occurrentes minimè probant, sed in qualibet ἀσθενίᾳ seu infirmitate corporis locum habuit. Tandem, quod de remissione peccatorum ibi additur, v. 15. quam & aliàs curationi morborum miraculose ab ipso Salvatore additam fuisse constat, ea disertè tribuitur non externo symbolo unctionis, vel oleo, sed orationi potius fidei:
Kai η εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν καρπόντα.

§. XVII.

Unctiones VETERUM, ad quas subinde provocant adversarii, à modernâ Romanenium unctione Sacramentali multum distant. Nam, prout ex vetustis libris divinorum officiorum constat, olim ægri promiscuè inungebantur oleo, quod infirmorum dicebatur, & quidem præcipue in ea corporis parte, cui vis doloris maximè incumbebat; Neque ea, ut hodie fit, differebatur ad extreum usque vitæ periculum, sed graviore aliquo morbo invadente hujusmodi orationes & unctiones per septem aliquando dies continuabantur. Et in Romanâ benedictione olei orabatur, ut proficit febribus & dysenteriis laborantibus, paralyticis ac dæmoniacis s. energumenis. Denique & veteribus post extreemam unctionem id in more positum fuit, si periculum mortis imminebat, ut corporis & sanguinis Dominici communicatio, quæ τελετὴ & perfectio omnium Sacramentorum habebatur, subjeceretur. Quæ omnia ab unctione extrema hodie usitatâ longè distare patet.

§. XIX.

§. XIIIX.

DISSENSIONES Pontificiorum, quas GERHARDUS in *Confess.*
Cathol. collegit, non concernunt circumstantias solum hujus sic
 dicti Sacramenti, sed ipsam rei substantiam, & potiores quidem
 huc redeunt: 1. Per *reliquias* peccatorum, quas hoc Sacramen-
 to abstergi dicunt, peccata solum venialia intelligi vult *Catech.*
Rom. At *Bellarminus* c. 8. statuit, reliquias peccatorum dici tūm
 peccata, quā interdum remanent post omnia alia Sacra-
 menta, sive sint mortalia, sive venialia; tūm torporem, mōrem &
 anxietatem, quā ex peccato relinqui & maximē hominem mor-
 ti vicinum vexare solet. 2. Juxta *Innocentium I.* oleo sancto
 non solum Sacerdotibus, sed & Laicis uti licet *in sua aut suorum
 necessitate ungendo*. Communiter autem nonnisi Presbyteros, &
 quidem præcisè Curatum, aut qui ab hoc licentiam impertravit,
 Sacramentum hoc administrari posse contendunt. Quare *Bellar-*
minus Innocentium non de *ministro* unctionis, sed de *recipienti* lo-
 qui ait; quā interpretatio tamen alijs contorta videtur, qui proin-
 de verba ad casum potius necessitatis restringunt. 3. Ipsa quoque
 formula verborum, quā in unctionis actū adhiberi solet, non ubi-
 que eadem est. Nam *Mediolanensis Ecclesia* ex rituali *S. Ambrosii* uti-
 tur formā non deprecatoriā, qualem præscribunt Concilia *Floren-*
tinum & *Tridentinum*, & *Bellarminus* pro necessaria habet; (*) Sed
 absolutā: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patri, Filii & Spiritus S.*
ut quicquid peccasti visu, auditu, &c. dimittatur per hujus olei un-
ctionem, idque per Dominum nostrum Jesum Christum. In *Germaniā*
 & *Gallia* verba rursus aliter inflectuntur. Jam vero istiusmodi mu-
 tationes formam Sacramenti non decent. 4. Sunt, qui de essentia
 hujus Sacramenti esse negant, ut septem corporis partes ungan-
 tur, sed sufficere putant, si quoconque in loco ungatur ægrotus,

D 3

re-

(*) Lib. I. de Extrem. Und. c. 7. p. m. 1511.

reliqua ad ritus & ceremonias pertinere. *Bellarminus* verò hanc opinionem singularem & minus tutam esse censet, eique propterea communiorem præfert, quæ hæc est, quod ad essentiam Sacramenti pertineat unctio quinque sensuum. Et sanè, addit, ratio honestatis in fæminis id postulare videtur, ut renes non ungantur. Itaque Concilium non prescribit, ut partes illa omnes ungantur, sed solum omnes partes enumerat, quæ inungi solent, juxta varium Ecclesiæ ritum. 5. Ex iis, quæ paulo ante de duobus Scripturæ locis Marc. VI. & Jacobi V. dicta sunt, patet, quod nec in eo convenient Doctores Pontificii, utrum hoc Sacramentum ab ipso Christo immediate, an verò ab Apostolis, quomodo & quando sit institutum; Quæ omnia saltem incertitudinem hujus dogmatis manifestè produnt. Cum primis verò notatu heic digna sunt, quæ PETRUS SUAVIS L. 4. Hist. Conc. Trident. p. 410. annotavit his verbis: *Si cui mirum videatur, cur primo capite doctrine de Sacramento extrema unctionis dictum sit, Sacramentum hoc à Christo Domino nostro esse apud Marcum insinuatum, & per Jacobum Apostolum fidelibus commendatum, cum verborum antecedentium & consequentium contextus requireret potius institutum quam insinuatum, sciat, principio quidem sic scriptum, sed, monente quodam Theologo, mutationem factam fuisse, eo quod assertio ista (de institutione apud Marcum) nimis audax & periculosa videretur.* At plerique editiones in *Canon. I. Sess. XIV.* nihilominus vocem *institutum* retinent.

De duobus reliquis Pseudo-Sacramentis, ORDINE & MATRIMONIO, nec non de cæteris Pontificiorum circa efficaciam Sacramentorum erroribus dicemus D. V. proximè in continuatione hujus materiæ.



Umg. VI. 2%


= [Dissertationes
theol. Vol. 49.]

ULB Halle
004 917 588

3







D. B. V.
DISSERTATIO THEOLOGICA
Quā
PRÆCIPUI
ONTIFICIORUM ERRORES
circà doctrinam
DE
ACRAMENTIS
IN GENERE
ΩΣ ΕΝ ΣΥΝΟΨΕΙ
*ob oculos sistuntur, strictimque refutantur,
imprimis verò occasione Confirmationis Pontificiæ
CONFIRMATIONE EVANGELICORUM
differitur.*

P R A E S I D E
D OFREDO HOFFMANNO,
EOL. DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,
ICALIS STIPENDII THEOLOGICI SUPERATTENDENTE,
ET ECCLESIAE TUBINGENSIS DECANO,
Die *Publicæ ventilationi exposita*
Martii M D C C X X I I .
a
RESPONDENTIBUS
JACOBO FRIDERICO HOFFMANN, Stuttgart.
JOH. ANDREA HOCHSTETTER, Tubingense,
SS. Theol. Stud. in Ducali Stipendio.
TUBINGÆ, Literis HIOBI FRANCKIL.

TUBINGÆ, Literis HIOBI FRANCKIL.